

per suos dispensatores prouisoreshq; terræ motos, vt pote reges, principes, ecclesiarumq; prælatos, tanquam causas secundas, fieri disposuit. Debet nempe Rex ad id vires suas extendere, vt ciues dirigantur ad viuendum secundum virtutem, qui est finis legislatoris, vt 2. Ethicor. Philosophus ait. Ad istum autem finem peruenire impossibile est absq; motione diuina. Cæterùm finis mouere solet efficientem, & tantò efficacius, quantò finis nobilior atq; melior. Finis verò quem princeps principaliter in se & subditis intendere debet, æterna est beatitudo, quæ perfectissimum bonum. Sunt namq; atq; dicuntur mundi rectores Dei cooperatores, & vt instrumenta principaliter agentia. Hinc est quod cum Apostolus Corinthijs scriberet, non esse potestatem nisi à Deo, illicò subiunxit; *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* 11. q. 3. c. resistit. Rursus quoq; per diuinam scripturam dicitur Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et Dominus per Ezechielem, *Seruus meus, inquit, Dauid rex super omnes erit, & pastor vnus omnium eorum.* Princeps deniq; apostolorum Petrus fideles subditos exhortans ad suis obœdiendum principibus, eos alloquitur his verbis: *Subditi estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi, tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem verò bonorum.* quæ verba transumptiuè ponuntur in c. solitæ. De maior. & obœd. Et eximius gentium doctor, *Omnis anima* (inquit ad Roman.) *potestatibus sublimioribus subdita sit.* & habetur in c. omnis anima. De censib. Quod intelligendum est de anima peccato subdita, vt not. gl. in c. magnum 11. q. 1. Proinde nequaquam ambigendum, dominia orbis terrarum à summo Deo eiusq; diuina defluere voluntate. Apertissimum quoq; illud est, à quo Christus rex & sacerdos in æternum vtramq; monarchiam, & spirituales & temporales, transtulit in Petrum vti vicarium suum. A primordio namq; humanæ creationis (vt suprâ cap. prox. explicatum est) Deus mundum rexit per se ipsum, vsq; ad eximij Nohæ tempora. Et deinde per suos mi-